

nigræ: parvæ verò, rubei coloris. Debent autem vitæ subito frangi & extrahi, aliter flos ille omnis deflueret cum vita. extrahunt autem humiditatem illam omnem, extracto capite quoniam intra fauces est obvoluta membranula quasi vena, ut idem Philosophus asserit. Hæc decoquitur in cortinis, at in principio decoctionis, ut inquit noster auctor, nullus color manifestus & distinctus apparet. Causa efficiens est, quod paulatim quisque color ex concoctione humidi conspiciatur, & emicet. Subnectit deinde causam materialem, quæ est ipsa sanies & liquor purpureus, cui potentia inerant multa colorum discrimina, quæ per concoctionem elucent, donec tandem emergat color proprius purpuræ, quæ saturata purpura dicitur, velut supra diximus, ex rubro nigricâs. Hi autem colores gignuntur, additione unius post alterum. Unus enim alteri per decoctionem additus, indicat prioris coloris faciem. Atque id simili modo in maturatione fructuû contingit. **ET ENIM TUNC NIGER.**) Declarat quinam colores interea dum decoquitur purpura, in tingenda re conspiciantur. apparet enim & albus, & niger, & opacus, & aëreus, hoc est cyaneus. nam cyaneus est color qui cernitur in aëre in profundo, ut antè dictum fuit. Horum, inquam, colorum per se, id est non per decoctionem, sed sua natura, propter temperamentum, nempe quia inuicem mixti sunt & confusi, nullus inuenitur conspicuus: sed in decoctione manifesti euadunt. atque id voluit, cum ait, quare propter temperamentum, non amplius per se aliorum quisquam conspiciatur. Apertior esset sensus, si pro *ἄλλων, αὐτῶν* legeretur, hoc est, illorum enumeratorum scilicet colorum.